

affines primi generis et quarti gradus.— Qui sint affines primi generis vide in Auctore hoc eodem tit. n. 89. "

2. *Super eo.*—Affinitas superveniens, de qua saltè constat per famam, solvit sponsalia de futuro.

3. *Quod dilectio.*—Si dispensatur cum aliquo, ut possit contrahere in certo gradu, alias prohibito, requiritur, quòd uterque contrahentium toto gradu distet à stipite, præsertim si hoc habet consuetudo.

4. *De Infidelibus.*—Infideles conjuncti in gradu prohibito à lege canonica, post baptismum non separantur.

5. *Quod.*—Consanguinei mariti cum consanguineis uxoris licitè contrahunt. In gradibus prohibitis non possunt matrimonia contrahi, etiamsi adsit consuetudo.— Vide Trid. sess. 24: cap. 5. de ref. matr. "

6. *Quia.*—Non valet dispensatio obtenta à Papa super matrimonio inter consanguineos contracto, si causa falsa sit expressa, nisi postea eam papa confirmaret.

7. *Tua nos.*—Testes, qui de consanguinitate deponunt, computationem debent à stipite vel germine incipere.

8. *Non debet.*—In secundo et tertio affinitatis genere tollitur prohibitio, quæ olim erat in matrimonio contrahendo. Similiter tollitur prohibitio de sobole suscepta ex secundis nuptiis, quæ olim non poterat contrahere cum cognatione prioris viri. Et prohibitio conjugii ultra quartum consanguinitatis et affinitatis gradum non extenditur.

9. *Vir qui.*—Distans à stipite quarto gradu, vel citeriori, cum distante quinto vel ulteriori, contrahere potest.

IN CLEMENTINIS.—Ibì titulo unico.

Cap. unic. *Eos qui.*—Scienter contrahens matrimonium in gradu consanguinitatis vel affinitatis prohibito, vel cum Moniali, excommunicatus est ipso jure, et publicari debet et vitari. Idem in professo et professa, vel constituto in sacris.— Vide Trid. sess. 24. c. 5. de ref. matr. et ampliacionem Elencho III. n. 42. "

TIT. XV.—DE FRIGIDIS ET MALEFICIATIS, ET IMPOTENTIA COEUNDI.

Cap. 1. *Accepisti.*—Si marito provocante ad divortium et se impotentem asserente, mulier hoc item fatetur, servata solemnitate canonica, matrimonium indistinctè dirimitur, sed si decipiatur Ecclesia, primum matrimonium reparatur. Si verò, muliere agente, vir asserat se potentem, nisi per aspectum corporis, vel alio indubitato modo convincatur, mulier non auditur; sed si vir hoc idem confitetur vel

2 Urb. III. Burdeg. Arch.

3 Caelest. III.

4 Innoc. III. Arch. et Cap. Tyren.

5 Idem Rossan. Arch.

6 Idem.

7 Idem.

8 Idem in Conc. Lat.

9 Greg. IX.

U. Clem. V. in Conc. Vien.

1 Ex Bruecar. Lib. 19.

convincitur, matrimonium separatur, et mulieri contrahendi licentia datur.

2. *Quod sedem.*—Impotens ad copulam, est impotens ad contrahendum matrimonium, sive sit impedimentum ætatis, sive naturæ.

3. *Ex litteris.*—Naturale impedimentum ad coitum irreparabile arte medicorum, matrimonium impedit.

4. *Consultationi.*—Contrahens scienter cum impotenti ad copulam, ab ea non separatur.— Hæc decretalis locum habet, quando qui scienter contraxerunt, vivere possunt cum uxore tanquam cum sorore, excluso omni libidinis periculo, ut in textu. Et ita tenendum est de matrimonio spadonum et eunuchorum jam contracto juxtà Breve Sixti V. ad Episcopum Novarien. in Regnis Hispaniar. Nuncium 26 Junii 1587. "

5. *Laudabilem.*—Si de impotentia coeundi constet, statim matrimonium separatur; aliàs cohabitabunt conjuges per triennium; et si cum septima manu propinquorum jurent, quod dederunt operam copulæ, et non potuerunt conjungi, statim separantur.

6. *Fraternitatis.*—Propter arctationem mulieris, si apparet, quòd præter miraculum absque periculo corporali habilis reddi non potest, separatur matrimonium; reintegratur tamen, si postea appareat Ecclesiam fuisse deceptam.

7. *Litteræ.*—Si uxor dicit virum, cui cohabitavit per triennium, non habere potentiam coeundi, eis hoc jurantibus cum septima manu propinquorum, matrimonium separatur.

TIT. XVI.—DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIE.

Cap. 1. *Litteræ.*—Matrimonium contra interdictum Ecclesiæ vel Judicis contractum non dirimitur: imponitur tamen pœnitentia sic contrahentibus, et separantur, donec cognoscatur de causa interdicti.

2. *Ex litteris.*—Sponsalia de futuro cum una etiam contra interdictum Ecclesiæ contracta, non dirimunt matrimonium postea contractum cum alia.

3. *De muliere.*—Si hi, qui dicebantur consanguinei, contraxerunt contra præceptum Judicis, debent separari, donec de causa cognoscatur.

2 Alex. III. Amb. Episc.

3 Idem.

4 Luc. III.

5 Caelest. II.

6 Idem Episc. Altiffiod.

7 Honor. III. Ep. et Mag. B. Can.

Amb.

1 Alex. III. Paduan. Ep.

2 Idem Winton., Bathon., et Herford. Ep.

3 Idem Paduan. Ep.

## TIT. XVII.—QUI FILII SINT LEGITIMI.

Cap. 1. *Conquestus*.—Naturalis ex soluto genitus et soluta, legitimatur per subsequens conjugium, etiam quoad hæreditatem.

2. *Cum inter*.—Separato matrimonio in facie Ecclesiæ contracto, filii geniti vel concepti ante sententiam sunt legitimi.

3. *Transmissæ*.—Statur verbo viri et mulieris, qui negant aliquid esse suum filium, nisi indiciis et testibus probetur contrarium.

4. *Causam*.—Illegitima proles est, quam viro vivente, uxor ex adulterio concepit, sive cum adultero, sive cum viro moretur.

5. *Lator*.—Quæstio nativitatæ opposita petenti hæreditatem coram Judice sæculari, est ad Ecclesiasticum judicem transmittenda.

6. *Tanta est*.—Naturales legitimantur per sequens parentum conjugium: spurii verò non.—Pius IV. Constit. *Quamvis* abrogavit omnes legitimationes spuriorum naturalium in præjudicium vocatorum ex testamento, revocavitque omnes legitimandi facultates in simile præjudicium.

7. *Causam*.—De causa civili inter laicos non cognoscit Ecclesia; cognoscit tamen, an quis sit de legitimo matrimonio natus.

8. *Perlatum*.—Si mulier per iudicium Ecclesiæ separata à primo, vivente illo, contrahit cum secundo, legitima erit proles, quam ex illo suscepit.

9. *Quod nobis*.—Filii nati ex matrimonio clandestino postmodum per Ecclesiam approbato, sunt legitimi.

10. *Referente*.—Nati ex matrimonio contracto contra publicæ honestatis justitiam, illegitimi sunt, et ab hæreditate parentum excludendi.

11. *Pervenit*.—Ad ducendum prolem illegitimam non sufficit probare impedimentum matrimonii, si fuit in facie Ecclesiæ contractum.

12. *Per tuas*.—Statur dicto testium, qui probant aliquem legitimum, licet fama vicinæ, et tractatus parentum habeat contrarium.—Vide correctionem Elencho II. n. 154.

13. *Per venerabilem*.—In terris Ecclesiæ Papa potest liberè illegitimos legitimare; in terris verò alienis non, nisi in causis multum arduis, vel nisi in spiritualibus: tunc tamen indirectè et per quamdam consequentiam intelligitur legitimare, etiam quoad temporalia.

- |  |                                  |
|--|----------------------------------|
| 1 Alex. III.                           | 7 Id. Lond. Wint. et Exon. Ep.   |
| 2 Idem Canon. Clero, et Pap. Tem.      | 8 Id. Ep. et Archid. Vicent.     |
| 3 Idem Rotom. Arch.                    | 9 Id. Belvac. Ep.                |
| 4 Idem Exon. et Wint. Ep. et Ab. Ford. | 10 Caelest. III. Eborac. Ep.     |
| 5 Idem Exon. Ep. et Ab. Ford.          | 11 Id. Lincon. Ep. et Ab.        |
| 6 Idem Exon. Ep.                       | 12 Innoc. III. N. Hydrunt. Arch. |
|  | 13 Id. Willel. Com. Mont. Pesul. |

14. *Ex tenore*.—Si conjugatus, vivente prima, in facie Ecclesiæ contrahit cum secunda hoc ignorante, legitima erit eorum proles.

15. *Gaudemus*.—Proles infidelium, qui postea convertuntur, legitima est; etiam si parentes sint in gradu prohibito lege canonica.

## TIT. XVIII.—QUI MATRIMONIUM ACCUSARE POSSUNT, VEL CONTRA ILLUD TESTARI.

Cap. 1. *Relatum*.—Cum agitur de fœdere matrimonii, reo absente contumaciter, possunt super impedimento matrimonii recipi testes, dummodò sint legitimi, et ad dicta eorum fertur sententia.

2. *A nobis*.—Accusatio et testimonium in causa matrimoniali personaliter, et non per litteras fieri debent.

3. *Videtur*.—In causa matrimonii super consanguinitate, sive conjugandi, sive disjungendi testificari possunt consanguinei et parentes.

4. *Insuper*.—Invita desponsata, postea spontè cognita, contra matrimonium non auditur.

5. *Significante*.—Repellitur accusans matrimonium propter quæstum.

6. *Cum in tua*.—Repellitur ab accusatione matrimonii, qui denunciationis tempore tacuit, nisi denunciationem probabiliter ignoravit, vel juret de novo didicisse, et quod non objicit illam malitiosè.

## TIT. XIX.—DE DIVORTIIS.

Cap. 1. *Si qua*.—Homicidium necessarium non privat spe conjugii, sed machinatio in mortem conjugis sic.

2. *Quæsiuit*.—Conjuges propter alterius crimen non separantur, nisi alter alterum ad infidelitatem trahere tentet: et tunc durat conjugium, eis etiam separatis.

3. *Porrò*.—Vir non potest dimittere uxorem sine iudicio Ecclesiæ, etiam propter impedimentum parentelæ notorium. Si fama refert impedimentum conjugii, etiam nemine opponente, Episcopus ex officio potest de eo inquirere. Si verò impedimentum est notorium potest ex officio matrimonium separare.—Ex Constit. Pauli III. *Cum sicut*, uxor à marito dissidens, nisi locetur in loco honesto, petere debet cautionem de non offendendo, ne suspectam vivendi libertatem affectet.—Ex Constit. Sixti V. *Ad compescendum* se temerè separantes absque Judicis licentia, puniendi sunt arbitrio Judicis. Et maritus

- |                                     |  |
|-------------------------------------|--|
| 14 Id. Henr. et Vit. Caen. Beneven. | 5 Id. Arch. Praep. et Prior. S. Mariae de Alb. Jann. |
| 15 Idem Ep. Tiberiad.               | 6 Idem.  |
| 1 Alex. III. Parm. vel Paris. Ep.   | 1 Ex Conc. apud Verm.                                |
| 2 Clem. III.                        | 2 Alex. III. Ep. Carnol.                             |
| 3 Cael. II. Floren. Eccles.         | 3 Idem Amb. Ep.                                      |
| 4 Cael. III.                        |  |

si post obtentam separationem, cum scortis aut aliis mulieribus luxuriosè vixerit, ità ut appareat ideo separationem affectasse, puniendus est ultimo supplicio: sicut et uxor, si à marito fugerit, ut impudicè vivat. "

4. *Significasti.*—Repellitur uxor petens restitutionem mariti, si notoriè fornicata est, et maritus continuit.

5. *Ex litteris.*—Matrimonium separatur propter adulterium mulieris: et si vir postea fornicetur, redintegratur.

6. *De illa.*—Si uxor à viro lapsa in hæresim propria auctoritate divertit, ad eum reversum redire compellitur; secùs si per iudicium Ecclesiæ ab eo fuisset separata.

7. *Quanto.*—Vinculum conjugale non dissolvitur altero conjugum fidelium in hæresim lapsa. Sed si unus infidelium conjugum convertitur ad fidem, et alter nolit sibi cohabitare, vel non sine blasphemia, vel sine peccato mortali, solvitur conjugium, et conversus contrahere poterit.— Vide Trid. sess. 24. can. 5. de ref. matr. "

8. *Gaudemus.*—Pagani juncti in gradu prohibito lege canonica tantum, conversi ad fidem non separantur. Si paganus prius plures uxores habebat, post fidem susceptam adhærebit primæ. Et si repudiata uxore, cum secunda contraxerit, etiam post baptismum dimittet secundam, et adhærebit primæ repudiatæ, etiamsi repudiata cum alio contraxisset: secùs si fornicata fuisset.

9. *Deus.*—Non licet relictam fratris in uxorem accipere: et ducta separanda est, nisi aliter Ecclesia dispenset.— Circa hanc dispensationem vide Gonzal. hoc eod. cap. "

TIT. XX.—DE DONATIONIBUS INTER VIRUM, ET UXOREM, ET DE DOTE POST DIVORTIUM RESTITUENDA.

Cap. 1. *Mulieres.*—Separato licitè matrimonio, dos restituenda est.— Sive solvatur quoad vinculum, sive quoad torum: Gonz. "

2. *Significavit.*—Soluta matrimonio, cogitur vir dotem restituere, et bona dividere, quæ communiter eis obvenierunt.

3. *De prudentia.*—Delegatus ad causam matrimonii, si ferat sententiam divortii, pronunciare debet dotem restitui.

4. *Plerumque.*—Mulier propter adulterium à viro separata, perdit dotem et donationem propter nuptias.

5. *Et si.*—Donatio propter nuptias declaratas nullas, quia fuerunt incestuosæ, à marito repeti potest, nec lucro uxoris cedit.

4 Idem Trec. Ep.

5 Clem. III.

6 Urban. III. Floren. Ep.

7 Idem Ferr. Ep.

8 Idem Triburiad. ad Ep.

9 Idem Levon. Ep.

1 Ex Conc. Wormat. temp. Car. Mag.

2 Urb. III. Decan. Cant. et Thesaur. Lexov.

3 Clem. III.

4 Caelest. III.

5 Inn. III. Compost. Arch. et Ep. in Regno Legion.

6. *Nuper.*—Usufructuarius donans sine consensu domini rem ipsam uxori propter nuptias, non transfert in eam plus juris, quàm ipse habebat: idem de eo, qui sub conditione adimente habet rem in hæreditatem vel in feudum.

7. *Per vestras.*—Vir agens pro dote, non omninò excluditur ex eo, quod vergat ad inopiam; nec præcisè cogitur satisfacere ultra facultatem propriam; sed dos sibi assignatur sub cautione, quam præstare potest. Et si per illam cautionem non esset sufficienter provisum consumptioni dotis, deponetur dos apud mercatorem, ut de honesto lucro vir sustineat onera matrimonii.

8. *Donatio.*—Donatio, quæ constante matrimonio, inter conjuges dicitur esse facta, ex quo alter locupletior et pauperior alter efficitur, firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur: quæ tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacitè vel expressè; vel qui donatum accepit, prius debitum naturæ persolvat. Sanè soluto matrimonio, sicut dos ad mulierem, sic et donatio propter nuptias redit ad virum, nisi de consuetudine secùs obtineat, vel ex pacto de lucranda dote et donatione propter nuptias, quod æquale sit tamen hinc inde contrarium inducatur.

TIT. XXI.—DE SECUNDIS NUPTIIS.

Cap. 1. *Capellanum.*—Secundæ nuptiæ non benedicuntur; et benedicens puniendus est.— Ex textu eas benedicens suspensus ab officio et beneficio mittendus est ad Sedem Apostol; sed hodie hæc missio sublata est, estque in arbitrio Episcopi vel suspensionem inferre, vel aliam pœnam (Thes. verb. *Matrimon.* cap. 1. n. 5. et verb. *Sacrament.* c. 3.) "

2. *Dominus.*—Dubitans de morte conjugis, nisi prius certificetur contrahere non debet; etsi contraxit, reddat, sed non exigat debitum: etsi postmodum sciat primam vivere, dimittat secundam.— Vide de cap. *Inquisitioni* 44. de sent. Exc. "

3. *Vir autem.*—Si unus ex conjugibus fuit aliàs benedictus, non debent conjuges de novo benedici.

4. *Super.*—Mulier nubens intra annum lugubrem, infamiam non incurrit.

5. *Cum secundum.*—Summa ut suprâ.

6 Idem Archid. S. And. de Scotia.

7 Idem Arch., et O. Archid. Jan.

8 Greg. IX.

1 Alex. III.

2 Luc. III. Christ. in capt. Saracen.

3 Urb. III. Vigil. Ep.

4 Idem Exon. Ep.

5 Inn. III. P. Nob. Mul.

## LIBER QUINTUS.

## TIT. I.—DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS, ET DENUNCIATIONIBUS.

Cap. 1. *Si legitimus*.—De persona accusatoris prius quærendum est in iudicio.

2. *Si quis*.—A denunciatione repellitur is, qui non præmonuit.

3. *Ille*.—Criminatio Prælati debet tractari coram illis, quorum interest.

4. *Omnipotens*.—Qui de aliquo crimine accusatur vel denunciatur, interim promoveri non potest.

5. *Nulli*.—Episcopus accusatus à suo familiari eum per exceptionem criminis ab accusatione repellere nequit, quem antè à sua familiaritate neglexerit separare.

6. *De his*.—Absolutus de certo crimine, de eodem iterum accusari non potest.

7. *Repellantur*.—Cohabitanes inimicis accusati, ab accusatione repelluntur.

8. *Accusasti*.—Ponit pœnitentiam accusatoris calumniosi; cum sequitur inde mors, vel membri debilitatio.

9. *Evidentia*.—Super notorio procedit Iudex, nemine accusante.

10. *Cum*.—Laici vel inimici Clericos accusare non possunt.— Exceptis casibus relatis in capp. *De cætero* 14. *de Testib.* et *Nulli* 5. hoc eod. tit.

11. *Ex parte*.—Monachus accusare potest Abbatem, et de bonis monasterii expensas litis necessarias habebit.

12. *Si constiterit*.—Presbyter ebriosus missam celebrans non præmissa digestionem, Ecclesia privari debet.

13. *Meminimus*.—Inimicus etiam à voluntaria exceptione repellitur.

14. *Licet*.—Dicens se aliquem accusaturum coram Iudice, ante inscriptionem potest sine pœna desistere et non accusare: sed ei desistenti silentium imponitur in perpetuum.

15. *Veniens*.—Ad prosequendam accusationem criminalem non ad-

1 Felix II. ad Ep. in Alex. Synod. cong.

2 Felix I.

3 D. Gr. Guidiscal. Duci Cam.

4 Idem Constant. August.

5 Pasch. *Nescitur an. I. vel II.*

6 Ex Conc. Mogun.

7 Steph. I.

8 Ex Burchard. Lib. 19.

9 Aug. super Gen. de morte Abel.

10 Alex. III. Galac. Elec.

11 Idem Wigor. Ep.

12 Alex. III. Amb. Ep.

13 Idem.

14 Inn. III. Bisun. Arch.

15 Idem Salish. Arch.

mittitur procurator, licet possit allegare causam absentiae, seu alias exceptiones non tangentes crimen propositum: et qui iuravit stare mandato alicujus, non admittitur ad accusandum illum; si virtute iuramenti sibi fuit injunctum, ut non accusaret.

16. *Super his*.—Denunciator criminis non se inscribit, quia ad correctionem tendit: accusator autem inscribit; quia tendit ad pœnam: excipiens verò inscribit ad pœnam extraordinariam, si per exceptionem dejicitur ab obtento; alias secus. Dum discutitur de crimine, per modum exceptionis potest intervenire procurator.

17. *Qualiter*.—Generales Inquisitores, si non servaverunt debitum inquisitionis ordinem prudenter et cautè, se corrigere debent. Ponit formam iuramenti, quod Inquisitores exigunt ab inquisitis.

18. *Cum delicti*.—Si is, contra quem inquiritur, iuravit respondere tantum ad interrogata, post confessionem auditur volens probare excusationes, quæ confessionem non perimunt, sed exponunt: secus si iuraverit plenam et meram veritatem dicere.

19. *Cum oporteat*.—De veritate criminum non inquiritur, nisi prius constet de infamia: et tunc non inimici vel perjurii, sed idonei viri ad prosequendum inquisitionem, et ad testimonium admittuntur: et non probato crimine, indicitur infamatis purgatio.

20. *Cum dilectus*.—A denunciatione repellitur publicus concubinarium, excommunicatus et conspirator, et is, qui non præmonuit.

21. *Inquisitionis*.—Crimen probatum per modum inquisitionis regulariter pœna ordinaria non punitur; sed si impedit ordinis executionem, fit depositio, sicut in accusatione: et si impedit tantum benefici retentionem, fit privatio à beneficio, nec poterit Iudex hanc pœnam moderari.—Contra non infamatum super veritate criminum inquiri non debet, etiamsi libellus famosus contra eum oblatus fuerit in secreto: nec super principali creditur testi, qui iuratus dicit se illius, contra quem inquiritur, inimicum. Idem si hoc dicit ante iuramentum, nisi præsumatur hoc dixisse in fraudem.—Non punitur quis de crimine, de quo non constat nisi per famam et testium credulitatem: et per dicta paucorum non debet quis apud Iudicem infamatus reputari.

22. *Ad petitionem*.—Si is, de cujus crimine in iudicio constat, petit restitutionem propter iudicarium ordinem non servatum, non est audiendus; sed eum tanquam notorium criminosum debet superior de novo privare.

23. *Accedens*.—Agenti possessorio adipiscendæ in beneficialibus non

16 Idem S. Frid. Prior. et Mag. B. Can. Pis.

17 Idem Vercel. Ep. et Ab. de Til.

18 Idem Arch. Arel. et Val. Mag. Ab.

19 Idem Arch. Tarac. et Ab. S. M. de

Populeto, et Archid. Barchin.

20 Idem.

21 Inn. III. Ep. Genev. et Vien. Sacr.

22 Idem Silv. Ep. et Latiniac. Dioec.

Paris. et Decan. Silvano.

23 Idem.